Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dolando asciando planando tornando atque poliendo. quod usque ad artis regulam
perducatur quantum potest ~~et placeat~~. et placeat artifici suo. Numquid ergo quia placet deo quod fecit.
ideo non novat bonum? Forsitan novat interius in animo, ubi ars ipsa pulchrior
est quam illa quae arte fabricantur. Sed quod videt artifex in arte. intus hoc foris probat
in opere, et hoc perfectum est quod artifici suo placet. Vidit ergo deus lucem quia bona est.
Quibus verbis non ostenditur luxisse deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum. Quod si dictum
esset miratus est deus lucem. quia bona est. Quantum clamarent quantum litigarent. Admiratio
enim de rebus novis et insperatis nasci solet, et tamen legunt isti et laudant in evangelio dominum nostrum
Iesum Christum admiratum esse fidem credentium. Quis autem in illis fecerat fidem, nisi ipse
qui eam mirabatur? Quod etsi alius eam fecisset. ut quid miraretur qui praescius erat? Si solvunt
manichei quaestionem istam. videant quia et illa solvi potest. Si autem non solvunt. quid ita
reprehendunt quae ad se nolunt pertinere, cum illa quae ad se pertinere dicunt non noverint?
Quod enim miratus dominus. nobis mirandum esse significat. quibus adhuc opus est sic moveri. Omnes
ergo tales motus non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri. Sic enim et verba veteris
testamenti quando deum infirmum docent, sed nostrae infirmitati blandiuntur. Nihil enim dig-
num de deo dici potest. nobis tamen ut nutriamur et ad ea perveniamus quae nullo humano
sermone dici possunt ea dicuntur quae capere possumus. Et divisit deus inter lucem et tenebras
Et vocavit deus diem lucem, et tenebras vocavit noctem. Hic non dictum erat fecit deus
tenebras, quia tenebrae sicut superius dictum est. lucis absentia est. Distinctio tamen facta est
inter lucem et tenebras. Quemadmodum nos clamando facimus vocem. Silentium autem non
sonando facimus quia cessatio vocis, silentium est. Distinguimus tamen sensu quid distat inter vocem
et silentium, et illud vocamus vocem. et illud silentium. Quemadmodum ergo recte dicimur facere silentium.
sic recte multis divinarum scripturarum locis deus dicitur facere tenebras, quia lucem quibusdam vel
temporibus vel locis vel dat vel detrahit. Hoc autem tantum ~~quantum~~ ad intellectum nostrum dictum
est. Qua enim lingua vocavit deus diem lucem. et tenebras noctem? Utrum hebrea. an greca.
an latina. an alia aliqua? Et sic omnia quae vocavit quaeri potest qua lingua vocaverit, sed apud
deum purus intellectus est sine strepitu et diversitate linguarum. Vocavit autem dictum
est vocare fecit, quia sic distinxit omnia et ordinavit ut et discerni possint. et nomina
accipere. Sed postea suo loco requiremus. utrum vere sic sit accipiendum. quia vocavit deus,
quam quantum accedimus in scripturis et in eis assuescimus. tanto nobis locutiones earum
innotescunt. Sic enim dicimus. ille paterfamilias edificavit istam domum, id est edi-
ficare fecit, et multa talia per omnes libros divinarum scripturarum inveniuntur.